



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

9. Quinam auari Ecclesiastica bona inuadant?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

IX. Video, quàm periculosa res sit, hinc epimythion addere. Nihil  
 magis magnus est numerus humana diuinis, terram celo anteferen-  
 tium, & non iam, *primum regnum calorum quarentium*, sed *rationali*  
*Status*, vt vocant, omnia subijcientium. Apud quos, *virtus post au-*  
*rum*, Ecclesia post marsupium sequitur; apud illos religio Rei-  
 publicæ, & quæ Dei sunt, Cæsaris, non quæ Cæsaris, Deo debent  
 seruire. Nimirum atheorum hæc sunt principia, & eorum fun-  
 damenta, qui omnia pecuniæ causa faciunt, & existimant, re-  
 ligionem, ad terrores duntaxat populi, esse excogitatum. Cùm  
 ergo religionem & res Ecclesiæ nihili faciant, magisque tempora-  
 lia bona ament, quàm æterna; facillè res Deo dicatas suis utilita-  
 tibus accommodant, atq; honestatē omnē postponunt commodi-  
 tati. Nemo ex his est, qui non *addit super peccata sua blasphemiam*, vt  
 in Iobo dicitur, & prætextum inuenit, quasi Ecclesiastica libertas  
 commodis secularium, & non potius hæc seruire debeant Eccle-  
 siastica libertati. Contra hanc utilitatem tam noxiã quisquis,  
 vel in curia consulit, vel in concione disserit, vel in libris scribit,  
 dicitur seditionem excitare. Usque adeò impietas inualuit, vt  
 etiam publica illius patrocina suscipiantur, & poenam timere de-  
 beat, qui eam impugnat. Sed nondum eò progressi sunt Princi-  
 pes Catholici, quibus mens est generosa, & Deus charior, quàm  
 nummus, vt pecuniam conscientia posthabeant. Illis ergo exem-  
 plum Henrici regis fidentissimè potest inculcari, qui tota ad sese  
 trahunt Christi patrimonia; qui nullum inter sacra & profana fa-  
 ciunt discrimen; immo à Dei seruis, plura exigunt, quàm à secu-  
 laribus; eosque sinunt famere, cùm ipsi quotidie ad vomitum vs-  
 que epulentur; nec antè desistunt, quàm eos migrare ac solum ver-  
 tere compellant. His, inquam, exemplum regis Henrici sapius  
 est recensendum, vt intelligant, non modò viam ad pecunias non  
 esse, per spolia Ecclesiarum; verùm etiam opes certius non amit-  
 ti, quàm si de patrimonio Christi, per varias artes ac prætextus, ac-  
 cumulentur. Nos Deo, non Deum nobis seruire oportet. Qua-  
 re neque, vt nostræ fortunæ & thesauri augeantur, minuenda  
 sunt, quæ maiores ad animæ suæ emolumentum, Deo donate-  
 runt. Illi dando Ecclesijs semper locupletiores effecti sunt, hic  
 modus est perueniendi ad diuitias. Qui autem Ecclesias, qui mo-  
 nastèria,



maſteria, qui ades ſacras ſpoliauerunt; neque ſpolia retinuerunt, & inſuper etiam, quæ antè habebant, perdiderunt. Quia, vt in prouerbijs eſt, *Peccatores perſequitur malum; & iuſtis retribuentur bona. Bonus relinquit hæredes filios, & nepotes: & cuſtoditur iuſto ſubſtantia peccatoris.* Prou. 13. 21.

Atque vt ad noſtros mores veterum exempla comparemus, nonnè quod olim ſtatum Imperij, in occidente, per barbaros euerſit, id ipſum quoque noſtra ætate fieri audimus, videmus, experimur? Non igitur mirandum eſt, ſi pœnas ſimiles inſigi videamus, vbi paria ſunt delicta, Vbi peccata peccatis æquantur, debent etiam clades cladibus æquiparari. Quid enim iuſtus iudex & mundi Reſtor agat, ſi ſummam in tribunis & centurionibus videat cupiditatem, quam meritò ſummam eſſe oſtendit ſumma crudelitas? Quemadmodum enim militum auaritiã prodit rapacitas, quæ ſine miſericordia obuios quoſque in via ſpoliat, domi expilat; ita & milites militum prætores, fame emori ſinunt, ſi vel commeatum, vel ſtipendia negant, & eos tamen excubare, vigilare, vitam & ſanguinem exponere cogunt. An Deus impune ſinat ire tot nomina exactionum, contributionum, & familiarum, & familiarium? morionum, ludionum, lenonum, & meretricum? tot ſtabula equorum, aſinorum, canum? vt ad venandum, non bellandum exiſſe putes. Abominatur hæc Dominus, & omnes participes, omnes conſcios iuſtiſſimè ſinit diuitijs excidere, quæ rarò tranſeunt ad tertium hæredem. Quid quòd multi nobiles, multi præfecti, multi in alijs officijs poſiti duri ſunt & contumelioſi in ſuos ſubditos, quos tondere, quàm regere malunt. Hinc & illos hoſtis omnibus fortunis exiit, non rarò etiam vitã. Quia & Deus plures ex improuiſo aufert. Hinc cum maximè opes intuito putant, cum dicunt animæ ſuæ: *Anima habes multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe, epulare;* tolluntur, rapinis ſuis non fruuntur; & ad ſupplicia luenda rapiuntur. Quid quòd neque ciues, neque opificeſ, neque coloni ſemper opibus ſuis digni ſunt, quas per artes malas, per fraudes, per mendacia, per furta, acquiſuerunt? Nonnè iuſtus eſt Deus, ſi malè parta malè perdat? ſi hoſtibus ſuis hoſtes immittat? ſi ignes accendat & incendia ſuſcitet? ſi aquas congreget & diluuiã explicet? ſi

X.

Luc. 12. 32.

